

H
W

Eig

K
M

33
32

FACULTATIS THEOLOGICÆ,
IN
ACADEMIA WITTENBERGENSI,
DECANUS,
IO. GEORGIUS
NEUMANNUS,
SS.THEOL.D.P.P.ALUMN.ELECTO-
RALIUM EPHORUS, ET ACAD. BIBLIO-
THECARIUS,

*Benevolo Lectori
S. P. D.*

ACADEMIA MITTENDEGENSIS
DEGANUS
IO. GEORGII
NEUMANNI
SS. THEOD. D. P. A. L. M. F. C. O.
RATIUM ELEHORU^S ET ACAD. MEIIO.
THEGRIUS
B. M. G. I. E. G. O. I.
2. 6. D.



I. N. J.



Ere magnum , & angelicis quo-
que humeris tremendum onus
lubeunt, qui sacro ministerio ad-
moventur. Non enim tantum
ipsos doctrina cœlesti probe in-
structos esse, sed etiam auditio-
res suos in divini Numinis agnitione , ejusqve sim-
plici cultu informare, & ad vitam æternam, manu
quasi ducere oportet. Quo titi nihil difficultius est,
ita eorum temeritas ac animi impotentia merito
detestanda, qui, cum Theologiæ ac sacrarum lite-
rarum studia vel nunquam, vel primoribus saltē
labiis degustarint, mox ad docendum in Ecclesia
prosiliunt, & divino quodam afflatu ad hoc tan-
tum munus excitatos sese , vanissime gloriantur.
Jam olim de his talibus conquestus est DEUS per
sanctissimum vatem: *Non miseram Prophetas,* Jer. XXIII.

A 2

5

21.

E tamen currebant; non locutus fueram ad eos, *E* tamen prophetabant. Itaque rem monstro similem ac perabsurdam judicat Apostolus, sacra munia obire velle, neque tamen ex judicio Ecclesiae ad docendum idoneum censi: *Quo-*
modo (DEI verbum) pradicabunt, inquit, nisi
fuerint missi? quasi diceret Vir sanctus: neminem
ex vulgo vel ad fabrilis, vel cujuscunqve artis me-
chanicæ exercitium admitti, nisi per aliquot
annos desudarit in illa, & per opificum leges & sta-
tuta, in publicam officinam, pro more, sit introdu-
ctus: multo proinde indignius esse, quenquam
ad officia ecclesiastica convolare, qui tamen pu-
blicis Ecclesiae suffragiis, ad sacrorum administratio-
nem nec delectus unquam fuerit, neque rite initi-
atus. Atque in hunc sensum mores istorum ho-
minum graphicè depingit Greg. Nazianenus, cum,

Orat. Apol.
de fuga sua,
p. 399.

pudet me, inquit, illorum, qui nihil meliores
vulgo, atque utinam non etiam multo peiores,
illois, quod dicitur, manibus, profanisque a-
*nimis rebus sanctissimis se ingerunt, *E* prius*
quam digni sint, qui ad res sacras accedant, sa-
*craarium ipsum ambiunt, *E* circum sacrosan-*
ctam mensam sese invicem premunt ac protru-
dunt, tanquam non virtutis exemplum, sed
victus parandi subsidium, hanc ordinem esse
ju-

judicent, ac non ministerium reddendis rationib
nibus obnoxium, sed officium ab omni censura
immune. Ut ut autem per omnem retro actatem
ista hominum protervia damnata sit, & publicis
subinde legibus frenata mireris tamen, necdum
deesse quosdam, sed cumulatim indies prodire, qui
simili temeritate Ecclesiam nostram infestent. Vix
aliquot elapsi menses sunt, cum Berolino ad nos
veniret quidam *Steinfeldius*, Cicensis Misnicus,
homo satis modestus, nec omnino ineruditus, qui
proinde reliqvorum velut causam acturus, in publi-
cum mecum certamen descendebat, & cum alios,
tum hunc præcipue errorem propugnabat: ne Lai-
cis quidem clavium potestatem denegandam; sed
coram hominibus cujuscunq; sexus & status, dum-
modo fideles sint, confessionem peccatorum eden-
dam esse. Evidem jam oblivioni dederam, quæ
utrinque fuerant disputata, cum geminis Amicò-
rum literis solicitarer, vellem de his rebus certiores
se fere reddere, ad compescendas Pietistarum quo-
rundam thrasonicas voces. Ego vero, uti nihil
quicquam commoveor improborum hominum
sermone, ita gandebam potius, offerri occasionem,
qua rem, uti gesta erat, exponere ingenue ac sine
fraude licet. Cunctandi vero triqa Dnm. Au-
ditorum succurrebat, qui collatis studijs omnia,
1511. fol. 110v. T. A. 3. 3. lat. 1. qvo-

qvoad sensum, fideliter exceperant; cum proinde
in ore trium testium constat veritas, nihil impe-
dit, qvo minus ista, prout ex codicillis descripta
sunt, candide ac sine fuco communicem.

Præses.

Dn. hospitem inter ordinarios opposentes
conspectum, qvem ex privato congressu jam co-
gnitum habebat, humanissimis verbis alloqveba-
tur, gratulatus sibi de occasione, qva de parado-
xis qvibusdam Novatorum assertionibus confirma-
ri posset; denique invitabat eundem ad expromen-
dam de controversiis sententiam, promissis officiis
studiisque, ut fieri solet, reciprocis, *Cerat autem dis-
putatio I. super Art. I. Synops. Schelgwig. Quæst.
I. 2. seqq.*

Opponens vicissim honorifice compellabat
Dn. Præsidem, suumqve eidem amorem testaba-
tur, utqve omnia in benigniore partem acciperet,
per officiose rogabat. Qibus præmissis, ad rem
ipsam pergebat, hisce propemodum verbis: Ac-
cedo ad quæstionem Domini Auctoris primam,
qvæ agit de Theologia, & in gratiam Dni. Re-
spondentis ita argumentor:

Cujus principium aliquando non fuit in re-
rum natura, illius nec principiarum extitit; Atqvi
Theologiae principium aliquando non fuit in
rerum natura. E. nec Theologia ipsa. *Resp.*

Resp. Assumo argumentum: Cujus principium &c. Sed quæso probet Cl. dignitas tua minorem propositionem.

Opp. Minor probatur inde, quia aliquando Verbum Dei viva voce prædicatum fuit, tempore scilicet Patriarcharum, quo nondum exitit Scriptura, cui principium credendi, & consequenter nulla Theologia, cui principiatum.

Resp. Distinguendum inter verbum DEI materialiter, pro literis & syllabis acceptum, & formaliter, pro sententia divina spectatum. Equidem tempore Patriarcharum non prior modo extabat verbum DEI, sed posteriori, & tum utique principii rationem habebat perinde, ac illud, verbum, quod literis consignatum est.

Opp. At contradictorium hoc est, & implicat: Scripturam aliquando extitisse, nec tamen in literas fuisse redactam; quomodo haec poterunt conciliari? (atque haec fusius urgebat.)

Praes. Ista vero conciliantur facile, quia termini non capiuntur utrinque *ώρατως* & eodem modo, quod ad veram contradictionem relevitur. Sic, cum Scriptura in *suppositione formalis* sumitur pro sententia DEI nondum scripta, recte se habet assertum, quod *Scriptura* (i. e. sententia Dei promulgata) exiterit, & nondum fuerit in literas redacta; Sin vero Scriptura in

sup-

Suppositione materiali accipiatur, pro literis & syllabis; tum demum implicat: sententiam Dei scriptam fuisse aliquando, neque tamen in literas redactam. Assertio Dn. Respondentis priori sensu intelligenda erat; non posteriori. Itaque allata distinctio dubium plane tollit, si in hunc modum applicetur ad syllogismum: Cujus principium nec quoad formale, nec quoad materiale fuit in rerum natura, illius nec principiatum extitit. Jam vero concidit minor propositio: ut ut enim verbum DEI literis nondum consignatum aliquando fuerit, tamen viva voce traditum fuit, ut haec tenus dictum.

Opp. Sed haec sunt faciliora, neque iis tempus consumam; habeo enim quædam altioris momenti, quæ vobis proponenda sunt. Nam ex quo hanc urbem intravi, ubique locorum deprehendi, adeo male audire Pietistas. Sive enim interfuerim concionibus, sive frequentarim lectiones Dnn. Theologorum, semper etencho stringi Pietistas intellecti; cum tamen venerabile hoc nomen sit, & illi, qui sic appellantur, viri integri sint, & in omnibus cum γνῶσις Lutheranis convenient, hinc argumentor: Quid omnia Symbola Ecclesiae Lutheranæ amplectuntur, in Ecclesia Lutherana vivunt, dogmata Lutheri inculcant, præterea homines ad salutem & sanctimoniam vitæ instruunt, illi male

male reprehenduntur, & nomine sectario *Pietistarum* perstringuntur, (quoniam nomen hoc satis venerabile sit, de quo nobis gratulamur) A. Fridericiani (i.e. Hallenses) & qui eorum placita sequuntur. E.

Resp. Assumo argumentum: *Quic. omnia* &c. Sed respondeo ad majorem per instantiam; Atque etiam Reformati glorianter, quod recipiant Symbola nostra, quod inculcent dogmata Lutheri, & tamen ne quidem Aug. Conf. per omnes articulos intemeratam relinquent; aliud ergo est, vere & ex animo, aliud appareret & simile Symbola recipere; posteriori Pietistarum est.

Præses. Initio illud sine censura dimittendum non est, quod tantopere fibi gratuletur Dn. Opponens de nomine *Pietista*, tam venerabili scilicet! quod ipso tamen sono se spectrum reddit. Sic *Deiculor* quidem nomen venerabile est, sed *Deista* divinitatis hostem notat, adeoque detestandum. Ita σοφὸς nomen optimum est, sed *Sophista*, nomen omnibus exosum. Sic *Poëta* nomen pulcherrimum; sed *Poëtaſſer* nomen ridiculum. Pari modo *Pius*, nomen venerabile; sed *Pietista* nomen execrabile, & schismaticum est. Jam quod ad argumentum spectat, bene responsum fuit; Nam etiam Sociniani Symbola oecumenica recipiunt, imo ad fidem & sanctimonium vitae, suos instruunt, & tamen errores fidei committunt fundamentales. Sic & Pontificii aliquando Catechismum Lutheri, aliquando Aug. Conf. sub specie concordiae amplexi sunt, & explicarunt, (ut non ita pridem P. Dezius, Argentorati) & tamen hostes fidei nostrae manferunt; itaque poterit aliquis Symbola nostra amplecti, & tamen eadem in pravas hypotheses detorquere, quae sunt artes impostorum, & schismaticorum. Deinde nego quod Fridericiani omnia symbola nostra amplectantur, quia, ut au-

B

dio,

dio, Formulæ Concordiæ non subscribunt, & sic fo-
res aperiunt Sacramentariis, Anabaptistis, Schyvenckfel-
dianis, Majoriftis, aliisque Schismaticis plurimis.

Opp. Utique omnia recipiunt symbola, sed non o-
mnibus juramenti formula se adstringunt; sufficit, quod
stipulata manu iis se addicant, & sic etiam Form. Conc.
recipiunt, quod satis est.

Præses. Evidem probe intelligo, quid status Eccle-
siae vestræ exigit; saltem de hoc contendo, num ex ani-
mo & vere, Symbola nostra recipient custodianque; mihi
aliter persuasum est. Nam quicunque subscriptionem
saltem hypothecam urgent, quia quis vel Alcorano subscri-
perit; deinde libros Symbolicos tot errorum atque nævo-
rum insimulant, imo ab articulis Aug. Conf. quam plu-
rimis recedunt; de illis affirmari non potest, quod vere
& ex animo Symbola nostra custodian. Atqui de Frideri-
cianis, & eorum ducibus id constat. E.

Opp. Quid audio? num ab Aug. Conf. recessimus,
quæso, unde id demonstrabitur?

Præses. Hoc demonstratum est pridem, cum a Facul-
tate nostra in gemino Scripto, tum ab aliis quoque The-
ologis, qui illorum errores ad A.C. examinarunt. An-
non ab art. XVII. A.C. recedunt per Chiliasmum, cum spar-
gunt Judaicas opiniones, quod ante resurrectionem mortuorum
più regnum mundi occupatur sint, ubique oppressis impiorum?

Opp. Distingo inter Chiliasmum crassum & subti-
lem; A.C. priorem rejicit, nos defendimus posteriorem,
quem Confessores minime damnant.

Præses. Atqui damnant illos, qui spargunt Judaicas o-
piniones: jam Chiliaſtæ subtiliores, ut videri cupiunt, spar-
gunt Jud. opiniones v.gr. de gemino Messia, qui sit Ben Jo-
seph, &c. &c. &c. qui videntur in libro de rebus apocryphae, &c. &c.

sephi & Davidis, de excidio Anti-Chriſti, de universali Ju-
daeorum conuersione, &c. atqve hisuperſtruunt regnum fu-
um glorioſum: ergo & Chiliaſta ſubtiliores hic rejiciuntur.
Sed pergo & oſtendo, qvomodo Novatores etiam ab aliis
Artic. A. C. reſeffeſſerint. Nam & Art. XI. & XXV. de con-
feſſione & abſolutione priuata, deſerunt, ut conſtat, qvan-
doqvidem de confeſſione priuata vociferatur Schadiuſ
ille Berolinensis, Beicht-Stuhl/ Satans-Stuhl/Hölle-
Pſuhl/ heift das nicht geſchwärmt? (Idqvod fulius ex-
aggerabat Dn. Præſes.)

Opp. Absit, ut Schadiuſ ita proſcindamus, ſanctum
illum beatumque virum: (id qvod elevatis & complicatis ma-
nibus efferebat adoranti ſimilis, & ſepiuſ repetebat,) rigi-
dior qvidem ille fuit, qvam res poſtulabat: veniam ta-
men meretur ob ſanctimoniam vitæ, & intentionem bo-
nau, qva voluit impios ab impietate revocare.

Præſes. Egregium vero ſanctum! qui omnes verecun-
diæ leges tranſiit, & puellas pudendum in modum caſtiga-
vit, qvod tam ſanctum & Apoſtolicum virum minime de-
cebat.

Opp. Absit, absit, parcamus viro tam inculpato & in-
tegro!

Præſes. Non poterit exculpari Schadiuſ, ſi ex ſcri-
ptis ejus judicandum fit; turbas enim excitavit in Eccle-
ſia Berol. ipſomet connivente Ephoro ejus, D. S. An hoc
excufandum, qvod Reformatam æque ac noſtram Eccle-
ſiam, ut meretriciam & Babelicam inclamarit? die Luthe-
rische und Reformierte Kirche ſind zur Huren worden ic.

Opp. Bene, bene.

Præſes. Male, male, imo pefſime; miror certe, qvod
huic fanatico homini in talibus applaudas.

Opp. Urique: qvod enim B. vir Ecclesiam nostram *meretriciam* & *Bellicam* appellavit, in eo habuit anteces-
fores Prophetas, qui simili zelo *Israeliticam* Ecclesiam, ut-
pote idololatricam adorti sunt.

Præs. Jam dudum observavi in Pietistis, qvod per-
sonas Prophetarum & Apostolorum sibi sumant, & hinc
audacter invehantur in Ecclesiam nostram, cœu idololatri-
cam, cum *πέρια λαον ἀγνωτη* sit, an vices Prophetarum &
Apostolorum ipsi sustineant, & an ecclesia nostra idolola-
trica sit? injuriosum hoc est, & intolerandum! certe *fili*,
nomen non meretur, qui matrem suam appellat mer-
tricem; dignus ille potius, qui in ultimam Thulen relege-
tur, aut mittatur in Pensylvaniam, quæ nova talium *Qva-*
kerorum regio est. Et qvælo, cur antea testabatur, se eadem
Symbola cum nostra Ecclesia profiteri? Itane vult
commercium habere cum Ecclesia, quam traducit ut *me-
retricem*? (hic copiosius differebat Præses de motibus Pie-
tistarum; imprimis urgebat, qvod status hierarchicos sub-
latos cupiant, & *domeſticum* dicant; juribus suis esse pri-
vatum, juxta illud: *Der Haß-Stand habe an demi we-
nigsten Orden den rechten Gebrauch seiner Rechten.* it.
Er sey von allen seinen Rechten verdrungen worden. Ad
hæc varia excipiebat Opponens, & aliam horum ver-
borum mentem esse contendebat, sed ostendebat Dn. Præ-
ses contrarium, itaque disputatio faltem exegistica de ver-
bis erat.)

Opp. Sed redeo ad Confessionem privatam, quam vos
tanquam necessariam inculcatis, unde sic argumentor:

Quic adiaphora per imperium & coactionem inculcant,
illi redolent spiritum Papæum. Atqvi vos &c. Ergo.

Præs. Utraque præmissarum falsa est, in hoc syllo-
gismo; nam in statu Confessionis adiaphora æque mor-
dicus

dicus tenenda sim, ac reliqua Christi beneficia; nam & libertatem Ecclesiae suo sanguine acquisivit Christus, ut recte alicubi judicat Lutherus.

Opp. Sed tamen ipse Lutherus Confessionem privatam pro adiaphoro, & libera quodammodo ceremonia habet, (quem locum ex Tom. Altenb. quodammodo recitabat).

Præses. Lutherus ex ipso Lutheru interpretandus est, nam alibi dicit: *Si mille & iterum mille mundi essent, malim omnia amittere, quam Confessionem aboleri permittere;* & hujusmodi complura reperies apud Lutherum. Præterea distingvendum hic inter *substantiam* Confessionis privatæ, & ejus *circumstantias*. Ad illam sufficit Confessio hominis creditis coram Sacerdote, atque haec est *juris diuinii*, & partem potestatis clavium constituit, quam Christus ministris suis solenniter injunxit, *Matth. XVI. 19.* Ad circumstantias vero pertinet, *sella, locus, tempus, formula Confessionis, nummus confessionarius, &c.* haec enim sunt *juris ecclesiastici*, adeoque adiaphoris accensenda, (atque haec Præses uberiorius explicabat.)

Opp. Sed quæso detur mihi ex scripturis exemplum, vel testimonium, quo privata Confessio demonstretur.

Præses. Horum non unum, sed quam plurima suppetunt, quælibi a me adducta sunt, nunc saltem ex V. T. adduco exemplum Davidis, quippe qui coram Nathan confessus est peccata sua *2. Sam. XII. 13.* Habet hic exemplum Confessionis privatæ: *Confessionarius privatus erat Nathan, confitens peccator David, ipsa confessionis forma la Psalminus LI. ut docet inscriptio: Psalmus Davidis, cum esset ad ipsum Nathan propheta, postquam ingressus erat id Bathsebam.* Denique *absolutio* Nathanis privata sequetur: *dixit Nathan ad Davidem: Jehova remisit tibi peccatum tuum; non morieris,* l.c. Ex N. T. urgeo institutio-

nem Christi, qva ministerio Spiritum S. impertivit, & singulariter injunxit munus *absolutionis*, cum ratione omnium pœnitentium, tum & singulorum: *Quibusc. Et. Jo. xx.*

Opp. Concedo absolutionem privatam a Christo esse institutam, sed nego id de *Confessione privata*.

Præs. At quæfo, cuinam Sacerdos debet impertire absolutionem, an impenitenti homini, vel penitenti?

Opp. Utique homini penitenti & credenti.

Præs. Sed unde novit Sacerdos, hominem esse credentem? annon ex confessione? sive verbis illa edatur, si ve signis, ut in mutis & agonizantibus deprehendimus?

Opp. Qvicquid sit, tamen non admitto, coram Sacerdote confessionem edendam semper esse; sed cum actio libera sit, licitum mihi fuerit confiteri peccata coram quocunq; fideli, sive mas, sive foemina sit: *Es mag derselbe ein Bauer/ oder Bürger/ ein Mann oder Weib seyn/ perinde est.* Imo conversus ad vicinum studiosum, dixit: *der Herr kan mich auch absolviren/ so gleich/ (quem honorem cum deprecaretur studiosus ille, risu commovebatur totum auditorium, qvod de his omnibus testari poterit.)*

Præs. sedato auditorum strepitu, qværebat ex Opponente, unde hanc suam assertionem probaret?

Opp. Probo, inquit, ex Gal. III, 28. *Hic non est Judeus, neque Græcus; non est servus, neque liber; non est masculus nec foemina: omnes enim vos unum estis in Christo Iesu.*

Præs. Sed qvorum istud? Dicatum loqvitur de *sublatione legis ceremonialis*, qvæ Judæum & Græcum, servum & liberum, masculum & foeminam distinguebat, sed minime de *sublatione ordinis ministerialis*, quem Christus factum testumque esse veluit, & post ascensionem in cœlos confirmavit Epb. IV. ii. Nusquam DEUS clavum potestatem injunxit foemellis, nec omnibus promiscue viris,
sed

sed ordini Apostolorum, & qvi horum sustinent partes;
mulieres autem tacere in Ecclesia jussit 1. Cor. XIV. 34.

Opp. Attamen Matth. XVIII. 17. Christus peccati confessionem ad totam Ecclesiam refert, si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesie; E. munus absolutionis toti Ecclesiae relinquendi debet, & sic cuilibet Ecclesiae membro.

Preses. Qvanta hæc est detorsio Scripturæ! agit locus de correptione fraternali, & pertinacium pena, qvæ utique toti Ecclesiae innotescere debet. Sed qvæ hinc collectio ad absolutionem peccatorum? an ideo & illam toti Ecclesiae concessam dixeris? nego illud ac pernego. Jus quidem & possessio hujus beneficij est penes Ecclesiam, sed exercitium & dispensatio hujus beneficij certis qvibusdam personis delegatur, ne Deus auctor confusio-
nis, sed ordinis esse, censeatur, 1. Cor. XIV. 33.

Opp. In his acqviscere se dixit, & singularem erga Dn. Præsi-
dem affectum testatus concludebat his verbis: Deo sit laus &
adoratio. Preses etiam Dno Opponenti gratias agebat, & agnitionem errorum exanimo precabatur; tandemque votis & preci-
bus hauc ipsam disputationem finiebat.

Nunc igitur prodeat in medium, quem minime se ingessisse
muneri facio; sed a DEO, & Patre Patria rite vocatum esse, novi-
mus. Nam Serenissimo Celsissimoque Principi, ac Dno. CHRISTIANO
GVILIELMO, Principi de Schwarzburg, Comiti ab Hohenstein, Domino
Arnsfadii, Sondershusæ &c. Domino nostro clementissimo, id debemus,
quod hic ejus alumnus, tot beneficij maestatus, Vir scil. plurimum
Rev. & Nobiliss. Dn. M. Jo. Casp. Haferung/ haftenus Fac. Philos. nunc
vero Ephoriæ Sondershusane Adjunctus, itemque Consistorii Eccles. Affes-
tor & Ecclesie Greiffensis Pastor designatus, ad majora contendat,
virtutisve & doctrinæ Theologica præmium expetat. Natus
hic est Viro admodum Reverendo & Clarissimo Dn. Jo. Caspa-
re Haferung/ Ecclesie Crajensis Pastore meritissimo, Matre
autem, Martha Catharina Bezeccenia, familia sacerdotali oriunda.
Intelligens vero optimus parens, plurimum referre, inter
qvos

QVIT brou A dighre Mihalini Cembli V dizej. I



qvos primum , & a qvibus institueretur filius , Northusano Nilum , & elapo triennio , Halberstadiensi Lyceo excolendum de-
dit , ut sub cura & disciplina M. Dunckelbergii , Bulai , Wurz-
leri , aliorumque xatem transigeret , primaque pietatis & lite-
raturum ficeret rudimenta . Tum vero hanc Academiam
M. DC. XC. ingressus in id maximopere incubuit , ut Philosophi-
cis qvæ , ac Philologicis studiis animum imbuferet , & in
utroque genere , Celeberrimis Viris , Röhrenso , Schurzsc-
hio , B. Donati , Dassovio , aliisque ducibus uteretur . Mox
lauream Philosophicam indeptus , cathedram superiorem con-
scendit , & de reconditis qvibusdam argumentis publice dis-
putavit . Iude S. Theologiæ studium auspiciatus est , & nobis o-
mnibus , qvos DEI gratia in hunc diem fufculit , constantissi-
me adhæsit . Ceterum beneficii Generosissimi Viri , Dni An-
tonii de Boy , in Sveciam evocatus , & filiis illius praefectus
Upfaliæ adiit , ibidemqve , habitus aliquot magna cum laude
disputationibus , omnium favorem & affectionem sibi concilia-
vit . Sed amore patriæ ductus , Wittenbergam reddit , & , cum
perspecta illius virtus esset , mox inter Ordinis Philosophici
Adjunctos , ut vocant , cooptatus fuit . Longe sunt plura ,
qvæ ad laudes Candidati nostri amplificandas pertinerent ,
qvæ tamen , ne longior æquo sim , nunc prætermitto . Cum
vero ad qvemvis fortunæ gradum favoritoribus opus sit , sum-
me Rev. Dn. D. Georg. Frid. Meinhardus , Theologus celeberrimus ,
is ipse fuit , qui religiosissimi , & qvæ laus peræque rara est ,
literatissimi Principis sui gratiam eo inclinavit , ut Candidatum
nostrum huic provinciæ clementissime admoveret , & Theolo-
gico insignitum præmio in patriam revocaret . Qvamob-
rem ad hoc institutum , die crastini , hora IX. sese accingeret ,
præmissa , ut par est , oratione solenni ; cui ut Magnif. Acad.
Rector , Peril. Lib. Barones , Patresque Conscripti & Cives
benevolè intereste dignentur , omni humanitate &
studio contendimus . P.P.Dom.
Palmar. M.DCCII.



WITTENBERGÆ,

Literis Viduæ Christiani Kreusigii , Acad. Typ.

Gi 2149

ULB Halle
002 410 087

3



56.

VONA

33
32

FACULTATIS THEOLOGICÆ,
IN
ACADEMIA WITTEMBERGENSI,
DECANUS,
IO. GEORGIUS
NEUMANNUS,
SS.THEOL.D.P.P.ALUMN.ELECTO-
RALIUM EPHORUS, ET ACAD. BIBLIO-
THECARIUS,

Benevolo Lectori
S. P. D.

